# DE EDITIONIBUS PRINCIPIBUS MEDIOLANENSIBUS...

Marcus Tullius Cicero, Angelo Mai

# DE EDITIONIBVS PRINCIPIBVS MEDIOLANENSIBVS FRAGMENTORVM CICERONIS ATQVE OPERVM FRONTONIS COMMENTATIONES

QVAE SVNT APPENDICES EDITIONIS ALTERIVS FRAGMENTORVM CICERONIS.

---

SAPIENTISSIMO VIRO

EQVITI ENNIO QVIRINO

VICECOMITI

REGII INSTITVTI GALLICANI

SODALI

ANGELVS MAIVS

AMBROSIANI COLLEGII DOCTOR S. P. D.

Instituenti mihi Commentationes aliquot scribere, de vetere praesertim Ciceronis Interprete et de laude atque ordine reliquiarum Frontonis, visum est ad iudicium et auctoritatem alicuius summi hominis esse deveniendum. Porro quum tu, Vir celeberrime, in rei antiquariae scientia priscorumque operum sensu principem sine controversia locum obtineas, utor hac felicitate aetatis nostrae, tibique lucubrationem

hanc meam considerandam submitto. Equidem scio, te Dionysium quoque Halicarnasseum in iis, quae ego nuper edidi, Supplementis magno cum gaudio atque honorificentia salutavisse, eidemque clarissimum gravissimumque testimonium dedisse (*). Igitur qui romanum historicum Vir romanus merito commendavisti, iam Tullianus Interpres quisnam hic sit, si fieri potest, dispicias: et Frontonis dignitatem atque integritatem, uti par est, confirmes. Quod ut velis, te, Vir maxime, vehementer etiam atque etiam rogo.

Mediolani Kal. Augusti MDCCCXVII.

---

(*) Les fragmens publiés par M. l'abbé Mai sont si évidemment conformes, comme nous l'avons remarqué, aux fragmens des livres perdus de Denis d'Alicarnasse que d'autres critiques avoient retrouvés, et en général au style de cet estimable écrivain, que l'AUTHENTICITÉ et le MÉRITE de ces morceaux ne pourront être mis en question par aucun critique qui les lira et les examinera avec attention. *Journal des Savans*, *Juin* 1817. *p.* 370.

**DE EDITIONE PRINCIPE MEDIOLANENSI**

# FRAGMENTORVM CICERONIS

## COMMENTATIONES.

1. Editis Ciceronis novis fragmentis totâque Europâ diffusis nemo qui contradiceret, quantum ego scio, repertus est. Sed quia cum orationibus septem, *in Clodium* videlicet, *de aere alieno Milonis*, *de Rege alexandrino*, *pro Archia*, *pro Sylla*, *pro Plancio*, *in Vatinium*, Commentarium antiquum coniunxi, quem Asconio Pediano multis argumentis adserere nisus sum; adversus hanc opinionem telum, etsi plane irritum, iecit vir doctus Borussus, quem honoris causa nomino B. G. Niebuhrius, a quo mea quoque Frontonis editio perversa est. Is in praefatione Berolinensis suae frontonianorum operum editionis (1) ait, se ex meis scriptis comperisse, ad codicem synodi chalcedonensis conficiendum adhibitas esse tum aliorum veterum membranas, tum etiam Interpretis octo orationum Ciceronis. — Sed paulo aliter quam est a me dictum loquitur ·cl· Niebuhrius. Scilicet in chalcedonensis synodi codice est quidem Interpres septem Tullii orationum; verum Scholiastes octavae, idest Scaurianae, in alio codice occurrit: quod et diligenter propter ea quae deinceps dicam intelligi volo, et a me pluribus verbis declaratum est (2).

2. Iamvero de Interprete, quem ego Asconium esse opinatus sum, pergit Niebuhrius dicere (3): *Hic Ciceronianus Interpres magni sane pretii est et doctus, non tamen est Asconius, sed idem qui in Verrinas scripsit, quarti saeculi homo. Nam is quoque commentarius non recte Asconio tribuitur, atque mihi dubium non est, in Poggianis Asconii apographis hunc non extitisse, sed aliunde editum esse.* Atqui ego nihil probabile toto hoc in loco

---

(1) Pag. xxxiv.

(2) Lege principis editionis praefationem primam cap. vi. alteram cap. II. III. xiv.

(3) Praefat. ad Fronton. p. xxxiv. n. 4.

Niebuhrii reperio. Quo enim is pacto confirmat, sive ambrosianum Interpretem sive etiam Verrinarum esse quarti saeculi hominem? Iterum qua vel auctoritate vel vi detrahit Asconio Commentarium quem communis sententia quem codices eidem Asconio vindicant? Sane ad codices Asconii quos editores laudaverunt accedunt ambrosiani duo (1) de quibus in praefatione altera principis editionis cap. x. locutus sum. Uterque nimirum et Commentarium in Verrinas complectitur: et in utroque haec scripta dicuntur esse reperta apud Constantiense concilium, qua nimirum aetate locoque et Poggius Asconium invenit et apographum suum scripsisse credendus est.

3. Praeterea qui fieri potuit, ut sibi Niebuhrius persuaserit, hunc Commentarium in Poggianis Asconii apographis non extitisse, sed aliunde editum esse? quum Asconii princeps editio (de qua ego in mea praefatione accurate locutus sum, quamque manu tractavi) Commentarium in Verrinas complectatur. Eam porro editionem ex apographis certo Poggianis fuisse expressam diserte cognoscimus ex epigraphe ad eius calcem impressa, quam a me tum olim tum hoc in libro recitatam esse memini (2). Et quidem ea epigraphe in principe editione libro ipsi secundo, ut nunc loquimur, in Verrem subiungitur, qui est ultimus in antiquis ante Aldinam Asconii editionibus (nam nec ad reliquas Verrinas commentarius Asconii superest). Licet autem mirari quod Niebuhrius neque in principe editione, neque in Maittairo, neque in meo quem prae manibus habebat libro, eam epigraphem legerit, qua eius tota suspicio dispulsa esset. Ex illa igitur improbabili Niebuhrii argumentatione quid porro sequatur, lectores mecum considerent: sequitur enim ut Niebuhrius, dum Asconium ex ambrosiano palimpsesto eiicere nititur, eumdem potius obtrudat. Quippe quoniam docto isti viro Interpres meus idem est homo, qui in Verrinas scripsit (quem quidem esse Asconium nullo iure nulloque argumento negare mihi videtur), idem quoque de sententia eiusdem Niebuhrii erit Asconius. Loquitur autem sine dubio Niebuhrius de eo Commentario in Verrinas qui inscribitur Asconii non de alio sequiore earumdem Scholiaste, quem quidem nullus umquam Asconium vel codex vel homo criticus, quod sciam, nuncupavit.

(1) H. 100. part. inf. et I. 91. part. sup.
(2) Princip. ed. praef. alter. cap. VIII.

**4. Quid si forte concederem, Commentationibus ad Verrinas minus prodi Asconium quam reliquis? Num** idcirco constaret, Scholiastem ambrosianum magis congruere cum notis ad Verrinas quam cum aliarum orationum interpretatione? Valde exilis est Asconius in Verrinis, copiosior et doctior in reliquis; atqui ambrosianus Interpres doctrina et copia verborum floret. Quid rursus? Nonne argumentorum a me pro hac sententia prolatorum octavum et nonum praecipua sunt (1)? Ista tamen, quum e Miloniana Pisonianaque trahantur, vim suam retinent etiamsi Verrinas omitteremus. Et quoniam adhuc in comparatione Asconii cum Interprete ambrosiano versamur, ego enimvero, siqui meae opinioni contradicere volunt, eos vehementer rogo, ut non prius id aggrediantur, quam horum scripta diligentissime inter se contulerint. Qui secus faciunt et vanam molestiam aliis creant et temeritatis notam contrahunt: tum semel publicatâ sententiâ tantos sibi mali pudoris nexus induunt, ut ab ea honeste recedere vix se posse putent: quare et litteratorum hominum dimicationes numquam fere laeto exitu concludi solent.

5. Igitur qui hunc Interpretem attente leget, is plurimos modos seu locos notabit, qui cum Asconianis magnopere congruunt. Rem ipse demonstrare coepi princ. ed. praef. alt. pp. 26. 27. 28. 29. nec non textûs p. 69. n. 4. p. 70. n. 2. p. 71. n. 1. p. 83. n. 3. p. 87. n. 2. p. 89. n. 2. p. 95. n. 2. p. 118. n. 1. p. 124. n. 1. et 2. p. 129. n. 3. p. 133. n. 3. p. 157. n. 3. p. 192. n. 1. et 2. Sed iam adde quam praetermisi locutionem in Asconio et Interprete frequentissimam *significat*, et *significare videtur*; cum videlicet rem a Tullio demonstratam nominant. Adde τὸ *notissimum est* pp. 94. 107. 133. 184, quod congruit cum Asconiano *notum est* ad Pison. cap. XXXIX. Adde τὸ *adeptus consulatum* p. 153, quod occurrit et apud Asconium ad I. pro Cornel. post *v.* CXI. et in Pison. cap. XIX. Adde τὸ *vult intelligi* p. 106, quod item est apud Asconium ad orat. in toga cand. circa medium. Adde *de legationibus per consules ordinatas* p. 158, quod confer cum Asconio ad lib. I. in Verr. cap. XXXV. Adde denique quidquid congruentiarum vel diligens vel otiosus criticus facili negotio coacervare potest. Omnino igitur hunc Interpretem vel tu Asconium dicas, vel quod mihi perinde erit, Asconio nullatenus deteriorem neque eiusdem dissimilem.

(1) Vide princip. ed. praef. alt. p. 28.

6. Praeterea Niebuhrius, qui tota editione sua frontoniana studiosissime mihi contradicit, in eadem praefatione (1) non dubitanter scribit, *Se ex Ciceronianis intellexisse, me singula folia iusto ordine non disposuisse, quod mihi in oratione pro Scauro acciderit.* Eiusmodi erroris notam quo iure vel qua aequitate cl. Niebuhrius mihi impegerit, latius in frontonianis Commentationibus dicturus sum. Interim eius affirmationis confidentiam vir Germanus Car. Frid. Heinrichius non mirari non potuit (2). Recitato enim Niebuhrii loco, ait: *Nihil adiecit vir praestantissimus* (Niebuhrius), *quo accusationis tam gravis rationem aliquam redderet, istiusque perturbationis ipsam sedem in illa oratione, aut eius sine errore reperiundae certa vestigia commonstraret.* Tum ad extremum concludit, tutissimum hac in re fore, Mediolanensis apprime codicis folia retractare. Et Niebuhrius quidem eum fortasse editionis meae locum spectavit, de quo agam inferius (§ 15); interim moneo, nequis ansam reprehendendi materiae ordinem arripiat ex ea particula *quanti quod habebat* etc. quam olim, (punctis tamen conclusam) in mediam orationem inserui, nunc autem ad extremam reieci. Ubivis enim ea collocetur, perinde est. Quippe sunt pauca et incerta verba, quae ego ex interiore tegumento codicis ligneo, cui membranea lacinia adhaerebat, aegerrime exsculpsi: ob quorum collocationem quis me iure commendet vel reprehendat?

7. Meam quoque de palaeographia codicis opinionem vellicavit Niebuhrius: scripturam enim synodi chalcedonensis (cui subest Interpres Tullianus) quam ego saeculi fere octavi esse dixi (3), ipse recentiorem iudicare se ait (4), nulla tamen sententiae suae confirmatione prolata, quod mihi semper iniurium videri solet. Atqui, ut ego iampridem monui, ambrosiani codicis vetus censor, qui tot vetustas membranas manu versaverat, eam immo scripturam prope coaetaneam ipsi concilio chalcedonensi, id est saeculi V, existimavit: ego vero longe cautiorem ea super re sententiam prae me tuli. Porro specimen a me cusum, si cum aliis palaeographiae exemplis conferatur, rem confirmabit. Tum cuique

(1) Pag. vi.

(2) Ed. Kil. trium orationum *pro Scauro* etc. in *addendis* p. xxiv.

(3) Princip. ed. praef. alt. cap. II. et xiv.

(4) Praef. ad Front. p. xxxiv. n. 3.

exploratum est, de vetustate cuiusvis codicis, non e formis tantummodo litterarum, verum etiam ex ipsa libri specie et colore quodammodo ac quasi facie coniecturam esse faciendam.

8. De Tullianis Fragmentis eorumque Commentario vix quisquam sapientius hactenus locutus est, quam ille vir politissimus et doctissimus, qui sibi meam editionem in universali bibliotheca Genevensi (1) perpendendam describendamque vindicavit. Is autem opinionem meam de Asconio invento minime improbans, eo tamen loco nonnihil offendi visus est, quo Commentarii auctor ait (2): « Feriarum latinarum sacrificio solitum esse » hoc observari, ut Hostia [et] civitates adiacentes » portiunculas carnis acciperent ex Albano monte *se-* » *cundum veterem superstitionem* ». Videtur autem viro egregio haudquaquam dicturus fuisse Asconius eas caerimonias *secundum veterem superstitionem* usurpari, quoniam eae sua aetate summa adhuc veneratione frequentabantur. — Sed enim ego et acumen hominis mire laudo, et tamen obiecto argumento sic censeo occurrendum: Vocabulum *superstitio* de religioso ritu sine contumelia usurpatum esse a scriptoribus ethnicis nemo dubitat. Porro *superstitio* seu caerimonia petendi carnem ex Albano monte feriis latinis, iam ipso tempore Asconii *vetus* erat, quandoquidem a Romae regibus fuerat instituta.

9. Quod vero idem perdoctus criticus legendum iudicat *hostiae civitates* pro *Hostia* [*et*] *civitates*, primum moneo, codicem omnino habere HOSTIA CIVITATES; deinde copulam *et* haud raro desiderari in his palimpsestis, quae res et ex nostra editione cognoscitur, et a Kiloniensibus editoribus (de quibus mox dicam) sapienter notata est (3). Tum si recipias eam coniecturam, fit paulo insolentior dictio *ut hostiae civitates adiacentes portiunculas carnis acciperent*: sunt enim duo substantiva nomina *hostiae* et *civitates*. Denique quoniam Dionysius Halicarnasseus (4) ait, eas ferias statutas esse a Tarquinio communes Romanis, Latinis, Hernicis et Volscis, eiusque sacrificii participes fuisse populos non minus XLVII, considerent, quaeso, eruditi homines diligentius, num ~~Alba~~ — *Hostia* latina urbs ab eius sacrificii iure sit excludenda, quod vult criticus Genevensis.

(1) Novembr. 1816. p. 217. sq.

(2) Ad orat. *pro Plancio* IX 1.

(3) Ed. Kil. trium orationum *pro Scauro* etc. p. 29.

(4) Antiq. rom. IV. 49.

10. E multis quas repetitas audio Ciceronis mei editionibus, tres in meas manus venerunt, eaeque tantummodo priorum trium orationum *pro Scauro*, *pro Tullio* et *pro Flacco*, Romana videlicet Francofurtensis atque Kiloniensis. Et de duabus quidem prioribus, quoniam eae ad exemplar Mediolanense exactae sunt, nihil dicere habeo. Tertiam Kiloniensem sane utiliter inspexissem dum hanc meam editionem adornarem, nisi diu expectata, tunc demum ad me venisset, quum nova editio iam ad umbilicum deducta esset. Quia tamen coronidem nondum operi imposui, nunc denique eâ receptâ pauca loco appendicis ad rem dicenda sunt.

11. Prodiit editio Kiloniensis cum emendationibus et commentariis Andr. Guil. Crameri iurisconsulti et Carol. Frid. Heinrichii philologi anno MDCCCXVI. vol. I. in 4.° Iam hi duo perdocti modestique homines diligenti admodum studio in hac lucubratione versati sunt. Praefatur Heinrichius sane graviter et cum curiosa rei gestae expositione. Sequuntur orationes cum amplissimo commentario, in quem eximiae diligentiae, eruditionis, artis criticae, omnigenaeque doctrinae opes innumeras coniecerunt. Ad emendandum principis editions textum multiplici coniectura usi sunt, modo feliciter modo secus, modo ita ut novis adhuc tentaminibus locus sit. Neque ego locos omnes percurro, neque laudo vel refello singulas coniecturas: nova enim mea editio ad ambrosianum palimpsestum iterum exacta, quid bene quid secus praestiterint, passim ostendit. Plura etiam a me praeoccupata sunt vel in ipso Tullii contextu vel in notis. Quare in his immorari supervacaneum est. Doctis observationibus aliquam etiam contra nos sententiam Cramerus et Heinrichius immiscuerunt. Qua de re haud equidem certandi studio cum viris humanissimis; sed veritatis gratia breviter dicam.

12. Heinrichius hoc reprehendit (1) in praefatione mea (cap. IV.) quod ego Federicum Borromaeum, bibliothecae ambrosianae fundatorem, dixi largis muneribus redemisse codices a Bobiensibus monachis, quos tamen codices Boscha oblatos munifice a possessoribus ait (locus enim Mabillonii, quem item laudat Heinrichius, neutram in partem trahi potest.) — Sed enim de re domestica facilis mihi responsio est. Quippe in cunctis, qui apud nos sunt,

(1) Ed. Kil. p. IX. n. 6.

Bobiensibus codicibus scripta mentio est munerum quibus magnificus Federicus eos redemit. Quoniam vero earum inscriptionum una fere formula est, instar omnium sit inscriptio ipsius Seduliani palimpsesti e cuius priore scriptura tres Tullii orationes *pro Scauro*, *pro Tullio* et *pro Flacco* a me erutae sunt. Sic autem se habet: *Sedulii carminum Fragmentum. Hunc codicem longobardis characteribus maioribus conscriptum, qui ex bibliotheca Bobii a S. Columbano instituta prodiit Ill.$^{mo}$ ac R.$^{mo}$ Card. Federico Borrhomaeo B. Caroli patrueli, dum ambrosianam bibliothecam manuscriptis codicibus ornaret, religiosissimi S. Benedicti Patres vicissim ab ipso Ill.$^{mo}$ munere compensati* (in aliis codicibus vidi *quam simillimo munere*) *humanissime tradiderunt anno* 1606, *Antonio Olgiato eiusdem ambrosianae quam primus omnium tractavit praefecto.*

13. Ad orationem *pro Scauro* quaedam etiam scholia ex eodem palimpsesto a me edita sunt. Haec ego in principe editione, dixi Asconiana me suspicari (1), ita tamen ut eam quaestionem definire prorsus non liceret: eamdemque du' itationem in nova etiam editione iterum prae me tuli (2). Namque alia ratio est ingentis Commentarii ad VII. Tullii orationes, quem longe plura et graviora argumenta Asconio vindicant. Iam ut in scholiis orationis *pro Scauro* sistamus, Cramerus quidem ea Asconii esse dubitat (3), quod sibi nimirum neque ad doctrinam neque ad stilum huius accedere videantur. Iamvero horum scholiorum duplex genus est, ut ego diligenter in utraque mea editione monui, nempe alterum rudioribus litteris, alterum quadratis et pulcherrimis exaratum. Mirum est autem quod adversus rudiorem pauloque recentiorem scripturam, nihil possint Kilonienses editores obiicere. Revera si praesertim in hac nova editione respiciant ad pp. 2. 6. 17. 18. 19. 23, quid in his scholiis ab Asconii vel doctrina vel stilo abhorret? Nonne ea (quod dixi olim de Asconio (4)) breviter et erudite textum explicant, historias et consuetudines romanas evolvunt, nonne nativus quidam argentei aevi color in iisdem elucet? Et historiam quidem

(1) Princip. ed. praef. pr. cap. v. et monit. ad or. *pro Scauro*.
(2) Princip. ed. praef. pr. p. 9-10. n. 1.
(3) Ed. Kil. p. 4.
(4) In monito ad or. *pro Scauro*, et praef. pr. princip. ed. cap. V.

romanam quum tria ex his scholia contingant ( p. 6. p. 18. p. 19. ), alterius utique et tertii scholii veritatem idoneis exemplis suo in loco me confirmare memini. Sed et primi summa veritas a Tullio ipso comprobatur (1) his verbis: *In delectu consules observant ut primus miles fiat bono nomine.*

14. Itaque et Kilonienses Editores reprehensionem suam ad illud longius scholium converterunt (2) quod quadratis litteris et pervetustis et speciosissimis, etsi minimae formae, in codice scriptum est. Aegre admodum id scholium e codice eruitur, quin adhuc magna eiusdem pars latet ibi in sempiternis lituris demersa: neque ego imaginem eius lacunae accurate exhibui: quod ut fieret, non modica pagina cudenda erat: qui sane labor et quae cura tanti non videbatur. Iamvero tria romani senatus sub regibus incrementa constant ex Dionysio Halicarnasseo II. 12. 47. III. 67. Origo illa appellationis *conscripti* vera est, nedum nugatoria, quod videbatur Heinrichio. Iam et illa de tribunatu plebeio, de tribus Claudiis, (qui locus ob similitudinem comparandus est cum Asconio ad I. pro Corn. post *v.* CXI. ), de pontificum saliari mensa quis merito reprehendat? Tum et consulatum communicatum cum plebeiis quis ignorat? Quae sequuntur in liturae obscuritate vehementer nutant: siquid vero absurdum videtur, id ob intercepta plurima scholii membra contingere necesse est: neque iure propter incertum crimen auctor scholii damnatur. Consules alterum plebeium alterum patricium semper fieri necessarium fuisse non dicitur in scholio: praeter quam quod is locus lacunâ obscuratur. Scaurus item migravisse ad plebem diserte non dicitur: sed potius fingitur id studere ·C· Claudius Publii frater et imitator ( si tamen et is locus certus est ) cui rei favent quae dicuntur a Tullio in oratione.

15. Praeterea non est cur Heinrichius postquam existimaverit (3) verba illa prima principis editionis *Non habuisti quod dares* etc. esse partem ultimam disputationis adversus testem, deinde suspicetur (4) copulanda esse cum illa parte satis remota *Venio nunc ad testes* etc. Nimirum tota materia a verbis *Non habuisti* etc. usque

---

(1) De Divin. I. 45.
(2) Ed. Kil. p. 52 - 53.
(3) Ed Kil. p. 15.
(4) Ed. Kil. in *addendis* p. XXIV.

ad *An ego querellas atque iniurias* uno eodemque folio codicis comprehenditur, ita ut in verba *constitutam illam* desinat prior folii pagina; sequentem vero exordiantur consectanea sine dubio verba *accusationis partem pertimescam.* Igitur hoc folio continetur exordii pars, orationis divisio, et ingressus in causam. Quare prudentissime egit Heinrichius (1) qui Niebuhrii criminationibus non ita mentem advertit, ut aliquid sibi mutandum transferendumque censeret.

16. Ad editionis meae *pro Scauro* cap. VIII. mallent Editores Kilonienses *aio* pro *ego*, *obsidatur* pro *obsidiatur*: cap. X. *pura* pro *plena*: cap. XII. *Aris* pro *is*: cap. XIII. *discessus autem sollicitudo ei, qui patronam suffocarat, fuit gerenda, illa quum volebat mori, non fuit*: cap. XIV. *dedatis* pro *datis.* Ad orat. *pro Tullio* cap. II. *modice* pro *modi*: cap. V. *et perraro* pro *ut perraro*: cap. VIII. *possedit* pro *sedet*: cap. IX. *illi* pro *illo*, et *inulta* pro *multa*: cap. X. *sibi vi manuque* pro *sibi manuque*, et *mittit* pro *dimittit*, et *illi* pro *illa.* Ad or. *pro Flacco* cap. I. *Lorymeni* pro *Loreni*: cap. III. *ausus* pro . . . *asus.* Sed eas coniecturas codex a me iterum inspectus non patitur. Praeterea vocem *saliatus* ante haec fragmenta edita negat Heinrichius ad *pro Sc.* VI. habuisse idoneum auctorem. Sed enim Forcellinus Capitolinum *in Marc. Antonin. cap.* 4. laudaverat. Quod Heinrichius ad or. *pro Tullio* I. locum Auctoris *dialog. de eloq.* cap. XX. aliter intelligendum iudicat, is non mecum sed cum Patricio disputat. Quod idem cap. II. retinendum censet *non soleo*, translata virgula post *ingratiis*, recte videtur dicere. Pro *Populiana* quod cap. VIII. et alibi mavult legere *Popilliana*, probo equidem eruditionem, sed in codice bis aperte habetur *Populiana*, bis lectio obscura est.

17. Antequam ab his orationibus discedo, moneo, me dum codicem retractarem, duo brevia scholia nunc primum legisse ad Scaurianae caput XVI; nempe ad verba *Agmen tu mihi inducas*, ita scribit rudioribus litteris Scholiastes in margine: *Ex multitudine tollit fidem.* Tum ad verba *Afrorum fremitu* scribit: *Ab[sur]dus enim . . . o dici ne . . . et bene: fremitu enim verba fundunt.*

18. Ego cum ineditis Frontonis operibus libellum copulavi *de differentiis vocabulorum*, qui sub eiusdem Frontonis nomine iampridem extabat in collectionibus Grammaticorum. Quia vero Forcellinus in lexico voc. *Fronto*,

(1) Vide locum nuper laudatum.

postquam locutus est de Frontone ·M· Aurelii praeceptore, dixerat nullo prolato argumento, *alium fuisse eum, qui de differentiis verborum libellum conscripsit*; ego quidem Forcellini dicto haud assensus sum (1), quoniam viri docti plerique omnes scriptum illud praeceptori divorum Fratrum tribuissent. Sententiae meae statim egregium laudatorem nactus sum Iosephum Furlanettum, qui in Appendice ad Forcellinum sic eius lexici locum reformavit: « *Alius fuit is etc.* — Dele om-
» nia usque ad finem: nam cum *nullum afferat Forcellinus*
» *argumentum, quo probet, scriptum illud alii Frontoni adscri-*
» *bendum esse, cumque nemo fere illud abiudicet ·M· Cornelio*
» *Frontoni, ·M· Aurelii et ·L· Veri magistro; nos cum An-*
» *gelo Maio putamus illorum imperatorum magistrum et huius*
» *opusculi auctorem unum eumdemque esse Frontonem* ». Sed enim Kilonienses Tullii editores in indice (p. 105.) mirantur me Manutii sententiam non animadvertisse, qua is Frontoni, antiquo et erudito grammatico, abiudicat istum libellum argumento sat gravi, ut aiunt (*in Cic. epist. ad Fam.* x. 19.) Locus autem Manutii ad Tullianae epistolae vocabulum *defatigatus* est hic: *Vix opinor Frontonis esse, antiqui et eruditi grammatici, libellum quendam, in quo defatigatus et fessus ita distinguuntur, ut defatigatus de animo dicatur, fessus de corpore: quod secus esse animadverto.* Sed nimirum Manutii hallucinatio Kiloniensibus editoribus fraudi fuit. Quippe locus, quem spectat Manutius, in Frontoniano, quem edidi, libello prorsus non occurrit: adeoque Manutius aliud opus vidit; atque haud scio an Isidori libellum cognominem *de differentiis verborum* (Arevalianae editionis T. V. p. 32. n.° 241.). Quamquam ibi perverso sensu ait Isidorus: *Fessum animo et cura; Fatigatum ex itineris longitudine.* Quod si verba a Manutio prolata Kilonienses editores num in Frontone meo reapse extarent, quaerere haud neglexissent, ii mihi huius responsi necessitatem non imposuissent.

(1) Oper. Fronton. p. 466. n. *.

DE EDITIONE PRINCIPE MEDIOLANENSI

# OPERVM FRONTONIS

## COMMENTATIONES.

1. Cvm per aestivos superioris anni menses fama Mediolanum allata est de Frontone Berolini regia in urbe Borussorum recuso, ac *meliorem in ordinem*, ut dictitabant, *digesto*; ego quidem etsi Frontonis mei mirificam curam gero, tamen ea tituli insolentia levissime sum commotus. Nam quod mediocrem additionum emendationumque numerum principi editioni a me subiunctum memineram, quas, siqui librum reficerent, suis in locis apte collocarent; satis id esse causae existimabam, quamobrem novus Editor de meliore quodam ordine sibi plauderet. Praeterea, quamquam me sciebam ad Frontonis scripta adornanda tamdiu tamque acriter incubuisse, ut nulli umquam negotio par otium atque studium fere praestiterim; tamen aequum erat, emisso opere in lucem, ceterorum quoque sapientiae rem iudicandam vel etiam perficiendam permittere. Quin ego ipse perpoliendi Frontonis mei numquam immemor, quidquid forte fortuna ab eo instituto non alienum occurreret, adversariis meis sedulo commendabam.

2. Ecce autem multo tempore post Berolinensis Fronto cum Symmacho copulatus Mediolanum delatus est: quo libello cupide inspecto, dici vix potest quantum animo cepi dolorem. Borussus quippe Editor Frontonem meum universum subvertit: libros eius aliquot vel titulis vel aliis codicis indiciis mihi olim proditos, abolevit: novos ex ingenio procudit: dictiones multas mutavit: quodque gravius est, partes Frontonis plurimas de complexu suarum affinium ad alienas sedes raptavit: inductam denique a me confusionem criminatus est (1): a se vero tanta sagacitate restitutum ordinem gloriatus est (2), ut siqui codicem rursus inspexerint, ab eo latum vix unguem Berolinensem editionem distare deprehensuri sint.

(1) Edit. Berol. *praef.* p. IX.
(2) Pag. XV.

3. Ibi ego mirari hominem ceteroqui doctum, qui quum pulcherrime exploratum haberet, quam ego lenta patientia quamque diutino tempore saxum id versavissem; ipse nihil hoc exemplo atque auctoritate deterritus fidem omnem ac diligentiam meam arbitrio suo et festinatione commutasset (1): prudentiaeque litterariae fines semel egressus, non ille quidem plerumque dubitationem aliquam prae se tulisset, non a me rationem cur ita sit editum repoposcisset; sed Berolinensi in specula quodammodo collocatus Mediolanensis codicis apices visu se consequi posse sperasset. Et tamen sapiens consilium familiares sui Editori impertiebant (2), ut sicubi Maius a codicis ordine se recedere innueret, his utique in locis iure suo uteretur; verum in ceteris nequo se errore irretiret, diligenter caveret.

4. Ei consilio si Editor obsecutus esset, me quidem maxima molestia liberavisset, qua nunc afficior, cum adversum eius sententiam dicere necesse est. Nam praeter quam quod ab omni dimicatione incredibiliter abhorreo, tum etiam utilioribus et iucundioribus occupationibus libentius indulgens, magnopere doleo, siquis me partem aliquam curarum mearum aliò cogit convertere. Nunc quoniam res plane postulat, dicam aliquid de Berolinensi editione; sed tamen id ipsum pacate moderateque dicam: tantum, ut ne (quoniam sibi me non esse inimicum potest conscientiae suae testimonio Borussus Editor iudicare) omne veritatis patrocinium deserere videar.

5. Atque in primis Berolinensis editionis paulo accuratiorem conspectum lectores nostri accipiant. Est ille liber uno volumine modicoque apparatu conflatus. Quas imagines Caesarum princeps editio prae se fert, eas consultius omittere in Berolinensi libro visum est, unâ exceptâ, quae paulo rudiore artificio in fronte operis deformata exhibetur. Octo item numismata et codicis elaboratissimum specimen praetermittuntur. Ad principis editionis commentarium meum praevium quod attinet, is quidem sollerter contractus est; Symmachi tamen tota praefatio silentio pressa. Mediolanensis Editoris notae et plures operum singulorum praefatiunculae partim

(1) Praef. p. IX. et XI.

(2) Pag XIII. Vide etiam editionem Kiloniensem Fragmentorum Ciceronis in *addendis* p. XXIV.

omissae sunt partim mutilatae: indices etiam abiecti: graecarum denique epistolarum latina interpretatio semel aut iterum appellata: quae tamen vix fraudi vertuntur, quandoquidem ad libros conficiendos suam cuique voluntatem ducem esse concedimus.

6. Illud ferendum non videtur, quod quum universum Frontonem complecti se spondeat Editor Berolinensis, *grammaticas illius disputationes* quae apud Gellium superfuerunt, oblitus sit: nec non *elocutionum exempla*, quae sine iustis rationibus, ut mox patebit, contempta, cur nihilominus negligerentur, nihil, praeter operis properantiam instantesque nundinas, in causa fuit. Et praecipuus quidem Editor B. G. Niebuhrius fuit, qui totum sibi Frontonem reformandum pervertendumque vindicavit: reliqui ab illo invocati Buttmannus atque Heindorfius criticas observationes partim suas attulerunt, partim ipsius Niebuhrii comprobaverunt. Atque his ego triumviris doctorum hominum laudem numquam tribuendam negabo.

7. Nunc priusquam istius editionis errores singulatim persequor, peto ab eius Auctore quo iure quove sensu non modo meam sedulitatem et operam (quod paulo aequius ferrem) verum ipsum Frontonem maledictis appetiverit? illum nempe Frontonem, cuius non in scriptis solum sed etiam in nomine residet auctoritas? Profecto ego cum de hoc oratore iudicium tuli, elocutionem eius honore augendam censui. Id tamen non sine cautela et modestia a me factum memini. Dixi enim (1) *dubitaturum me, num meis inventis nimium faverem, nisi et summis laudibus elatum apud veteres Frontonem viderem, et nulla reprehensione notatum.* Sic enim se res habet: quoad vixit Fronto neminem in arte aemulum aut maledicum sortitus est, quin immo cuncti frontonianae eloquentiae fasces submiserunt: eiusdem porro memoriam perhonorifice exceperunt omnes anni consequentes.

8. Sane Frontonem ·M· Aurelius disertissimum doctissimumque vocitat (2), eiusque scripta inter optima quaeque collocat (3): immo eo tacente simul omnia ora tacere iubet (4), eumdemque existimat (5) multo

(1) Comment. praev. p. XLV.
(2) Lib. ad Pium ep. 9.
(3) Ad ·M· Caes. I. 5.
(4) Ad eumdem I. 9.
(5) Ad eumdem I. 10.

placentes illos sibi et provocantes Atticos antevenisse. Denique sibi sufficere ait (1) talem magistrum habuisse. Scripta Frontonis summa cum voluptate et admiratione Verus etiam imperator legisse se dicit (2). Iam et consecutis temporibus Fronto a Dione Cassio dicitur *ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος* (3). Ab Eumenio romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus. Ausonius neque se Frontoni contendere neque in tanti oratoris fastigium attollere audet. Macrobius inter quatuor bene dicendi genera frontonianum recenset. Hieronymus atque Sidonius frontonianam gravitatem et eminentiam se admirari testantur. Ab Eutropio nobilissimus orator Fronto appellatur. Denique Claudiano Mamerto (uti a ·cl· italo Iacobo Leopardo notatum memini) Fronto ob pompam oratoriam capessendam lectitandus videtur (4).

9. Hoc igitur in primis gravissimo praeiudicio ad ferendam de Frontone sententiam usus sum, illudque paene dixi, quod de Isocrate Tullius (5): *Me autem, qui Frontonem non diligunt, una cum omni antiquitate errare patiantur.* Certe et ipse Fronto quum a tot summis viris collaudatus sit, vel reprehendi se ab uno vel altero aequanimiter, ut opinor, ferret. Nunc vero cum insperato Fronto revixit, fecit statim sibi audientiam compta et mitis eius oratio, quae plerisque omnibus, praeter Editorem Berolinensem, cumulanda laudibus visa est. Revera si nihil est aliud teste Tullio pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere; quo pacto Fronto in oratorum excellentium numerum venire non debet? Quae quum ita se habeant, nonne est intolerabilis eorum oratio qui Frontonem se risisse aiunt (6)? qui levem, indisertum, futilem, vilem, fucatum, putideque delirantem dicunt? Quamquam in hac contentione paene frustra iam versor, quandoquidem Editor Berolinensis totam immo rhetorum artem *putidam* appellare non dubitat (7).

(1) Ibidem.
(2) Ad Verum I. 8.
(3) Vide hoc et reliqua testimonia in editione principe Frontonis.
(4) In epist. ad Sebaudum rhet. apud Baluz. Miscell. ed. Luc. T. III. p. 27.
(5) Orator cap. XIII.
(6) Ed. Ber. praef. p. VIII.
(7) Ed. Ber. p. 113.

10. Quid autem est, quod Ed. Ber. tot illas elegantes partim Marci Aurelii Luciique Veri, partim etiam Pii, litteras nulla admiratione dignari videtur, quarum si vel una in eius manus inedita incidisset, gaudio, ut opinor, exanimatus esset? Quid rursum est, quod Ed. Ber. tam facile frontoniam saeculi eruditionem pedibus trahit (1)? Omnino post aevi aurei felicissimum ingeniorum florem, nihil ego doctius ea aetate reperio, quae ab Hadriano principe effluxit ad Commodum. Rem et ceteris et apprime Editori Berolinensi notissimam commemorare me pudet. Quis enim nescit, iis temporibus in historia quidem praestitisse Appianum, Florum, Iustinum, Pausaniam? in eademque atque aliis doctrinis plurimis Svetonium et Arrianum? Artem oratoriam, praeter Frontonem, coluisse cum laude Aristidem, Herodem atticum, Favorinum, Polemonem, Hermogenem, Phrynicum, Calpurnium Flaccum, aliosque rhetores (2)? Iuris prudentiam summis et plurimis cultoribus inclaruisse, quorum non solum doctrina verum etiam latinitas in amore eruditorum est? Numeratos esse philosophos prope innumeros, quos inter eminuit ipse ·M· Aurelius? Philologiam omnigenam professos esse Hadrianum ipsum principem, Gellium, Apuleium, Pollucem, Lucianum? Quid memorem Artemidorum, Aelianum, Polyaenum, Apollonium, Nicomachum, Hephaestionem, ·Cl· Ptolemaeum, Galenum, MaximumTyrium, Moeridem atticistam, et grammaticos Herodianum ac Nonium, atque alios innumerabiles eius temporis eruditos? quos omnes nonne contumelia affecit Ed. Ber., cum dixit et ea aetate omnem prorsus eloquentiam contabuisse (3), et Frontonis vanitatem saeculi perversitate non esse intellectam (4)?

Sed enim ut eorum, quae mihi in editione Berolinensi displicent, potiora capita persequar, a continenti oratione recedam, ac prout singula in eo libro occurrunt, multis tamen omissis, breviter recensebo.

In primis a fronte Operis removenda sunt verba *in meliorem ordinem.*

---

(1) Praef. p. xxiv.
(2) Consule Philostratum v.t. *Sophist.*
(3) Praef. p. xvii.
(4) Praef. p. xxiv.

P. IV. v. 10. Ait Editor Berolinensis se obligasse Frontonis vulnera — Non obligavit plerumque, immo manus iis attulit.

P. VII. v. 26. Contemnit Ed. Ber. Frontonis sententias et elocutionem — Scilicet vanae sunt et futiles aut tritae sententiae tot Frontonis de orationibus, de feriis Alsiensibus, de Nepote amisso, de ludicris: nihil aiunt tot graves epistolae ad Pium, ad Marcum, ad Verum, ad amicos: nova non sunt tot vocabula, tot denique res quas meus libri index etsi non copiosissime instructus oculis exhibet. Adde adornatum ab Ed. Ber. indicem auctorum in Frontone laudatorum XXXIII, personarum autem ibidem appellatarum CXLIV. Denique ipse Ed. Ber. p. 185. narrat, plerosque illos ad quos scribit Fronto nusquam alibi apud veteres memorari. Cur autem Silius poëta cum Frontone oratore comparatur? Cur rursus conferuntur Polemonis et Himerii declamationes cum Frontonis epistolis (1)? Quid ea res ad hanc rem pertinet?

P. VIII. v. 21. Criminatur Ed. Ber. meam corporis Frontoniani componendi peritiam. Tum p. XV. v. 20. ait se, qui remotus a codice Frontonem compegerit, plane nonnisi in minoribus fuisse deceptum — Atqui ego quidquid fere est integrum in Frontone, mea industria et labore solus concinnavi, quum paucissimae paginae integrae fuerint, disiectae vero partes plerumque post plurima et inversa folia codicis quaerendae, et quidem omnes a molestissimis palimpsesti involucris expediendae: qui labor quantus fuerit, verbis explicari non potest. At Ed. Ber. communicato cum sociis negotio, meo libro bellissime usus, intra paucos ante nundinas menses rem confecit (2). Tum quod a codice aberat, id quoque ei commodum accidit: nam rei verae et difficili coniecturas saepe temerarias et obvias supposuit.

P. XIV. v. 14. De titulo libri prioris ad Verum nec non de orationibus in suo loco deinceps dicetur. Interim quod Ed. Ber. ait v. 18. me in ed. Mediol. p. 51. *duarum epistolarum partes coniunxisse inter quas scriptas vel viginti anni intercesserint*; is sciat, totam eam materiam in una eademque codicis pagina scriptam esse, adeoque a me prorsus non fuisse separandam. Porro

(1) Praef. p. VII.

(2) Praef. p. IX. et XI.

in quo me reprehendit, ipse deinde peccat cum in editione sua p. 97. eam ipsam materiam, nempe epistolam *Ne ego* etc. praeponit epistolae . . . *lio paululum* etc. quod in codice contra est. Qua in re Ed. Ber. ne sibi quidem constat: namque materiam, quam me coniunxisse criminatur, nec ipse demum separat: tantum, ut codicem violet, praepostero ordine collocat.

P. xv. *v.* 2. Mallet Ed. Ber. singulos versus codicis, quasi imagine, in editione principe expressos fuisse. — Praeclaram enimvero libri speciem dedissem, si lacunas, prout se in codice habent, exhibuissem. Modo enim in pagina nihil scripsissem, modo tria verba, modo unum: mox interiecto immodico spatio reliqua essem persecutus. Omnino ea diligentia ut in edendis brevibus Livii fragmentis utilis fuit atque laudabilis, sic in mea editione nec adhiberi poterat nec porro debebat.

P. xvii. n. * Pessimae notae frontoniana nova vocabula existimat Eichstadius? Is igitur cum Gellio disceptet, a quo sermones Frontonis dicuntur purissimi. — At sunt mei errores, inquit Ed. Ber. — Lectores aequos moneo, scripturam codicis Frontoniani more apud veteres solemni totam esse continuam, eamdemque superinducta concilii materia vehementer obscuratam. Igitur tam ampli voluminis universa vocabula ego meo studio et diligentia dispescui ut alienae commoditati consulerem. In infinito autem vocabulorum numero, quae, Deo favente, recte constitui, semel tamen labi potui, nempe cum *ad* ab *algidum* non seiunxi: quamquam is locus ab Ed. Ber. nondum satis recte compositus est: dicendum est enim *gelidum*, *ad Algidum. Maxime exim* etc. uti docet codicis interpunctio. Reliqua a criticis frustra tentantur. Et quidem *chamaetortus* perspicuum est in codice, tum in margine repetitur ceu notatione dignum.

P. xxiv. *v.* 29. Ait Ed. Ber. Marcum flagravisse amore Frontonis non tam propter vanam praeclarae eloquentiae opinionem, quam ob veram virtutis laudem. — Atqui Marcus Frontonis eloquentiam mirifice admirabatur. Recolat Ed. Ber. quae superius dixi ff. 8.

P. xxv. *v.* 21. Non est cur duo fingantur mori Frontonis nepotes: quum enim et in epistola vii. libri prioris ad Verum dicatur extinctus trimulus nepos, et Fronto in epistola de Nep. am. puerulum mortuum defleat, sequitur ut de uno eodemque nepote cogitandum sit.

n. 2. Locum Sarberiensis mirum est aliter intelligi ab editore Berolinensi.

P. XXVI. v. 7. Temere ait Ed. Ber. nullam esse epistolam recentiorem illa quam ad Verum ex Asia reducem scripsit Fronto. Etsi enim is tunc aegrotabat, spem tamen convalescendi non abiecerat, quoniam ait se non invitum, quantum vitae dabitur, victurum. Quid quod Ed. Ber. Frontonem convaluisse adeo existimat, ut idem et Verum triumphatorem panegyrico salutasse ipsi videatur (1)?

P. XXVII. v. 15. Frustra dicere videtur Ed. Ber. tres fuisse libros seu partes epistolarum ad Marcum. Sunt enim in codice duo tantum libri inscripti *Epistolarum ad M. Caesarem (lib. I.) lib. II.* De libro, quem Ed. Ber. fingit ad Annium Verum, deinceps agemus.

v. 34. Epistola *de eloquentia* nulla est Frontonis. Titulum fingit Ed. Ber.

P. XXIX. v. 9. Non ad Verum sed ad Marcum scripta sunt *Principia historiae*, ut deinceps docebimus.

v. 33. Non solvit Ed. Ber. argumenta a me prolata de duplici *in Pium* panegyrico.

P. XXX. v. 9. Qui probat Ed. Ber. fuisse Demonstratum haud dubie romanum? Qui rursus probat, Demonstratum Herodis adversarium fuisse atheniensem? Certe ego nusquam id dixi, nec nisi temere inconstantiae ab Ed. Ber. arguor: Unde enim is colligit a me existimari atheniensem Demonstratum? num quia citavi Philostratum apud quem Demonstratus videatur atheniensis? Atqui vel invito Philostrato ipse Ed. Ber., non cirtensem quidem, sed romanum dicit Demonstratum.

v. 14. Orationem qua Fronto Herodem laeserat exploratum est Editori Berolinensi aliam fuisse a defensione Demonstrati, licet aliter me censente. Dictum tamen non confirmat. Porro qui tot libros Frontoni eripit, nunc istum ultro largitur.

v. 27. Ait Ed. Ber. fictos errore editoris Mediolanensis quinque libros. 1.° Librum alterum *ad Verum* — Atqui duplicis libri titulos in editione mea p. 104. produxi, eaque res confirmatur in eadem mea editione exemplo paginae 289, in qua duplicis libri coniunguntur tituli, prioris paulo imperfectior, alterius plenus.

---

(1) Ed. Berol. p. 177. n. 1.

Praeterea ego idcirco de ·L· Vero potius quam de ·M· Annio Vero cogitavi, quia in epistolis indubiis maior frater semper dicitur *Marcus*, minor *Verus*: ergo quum in calce et huius epistolae et praecedentis ( in mea editione ) in qua de Polemone agitur, Veri nomen legerem, respiciendum mihi ad ·L· Verum videbatur. Titulos tamen eos posui quos nemo carpere posset *Vero Fronto*, *Verus Frontoni*, quisquis denique Verus est. Audacius fecit Ed. Ber. qui de suo addidit (1) ad *·M· Annium* Verum, quo titulo sine codicis auctoritate rem per se dubiam definit. Iam quod Ed. Ber. negat (2) Lucium ante imperium dictum esse *Verum*, is audiat Casaubonum qui ad Capitolinum (*in ·M· Antonino*) sic commentatur ( Hist. aug. ed. Par. an. 1620. in not. p. 63.) « Ait (Capitolinus) Marcum simul cum communicato » imperio Veri nomen fratri Lucio communicasse. Nos » scimus etiam ante adoptionem, nedum ante imperii » participatum, hunc Veri nomen habuisse: quo et » pater eius ( Aelius Verus ) adhuc privatus fuit nomi- » natus ». Stomachosius igitur dixisse videtur ·cl· Editor Berolinensis ( praef. p. XIV. ) a me pessime illum titulum esse intellectum. Praesertim quum liber *ad Annium Verum* praeponendus in codice fuisset libro *ad ·M. Caesarem*, quod secus fit: nam praeponitur in codice liber *ad Verum* libro ad *Verum imperatorem Aurelium Caesarem* (3). 2.° Alterum item *de orationibus* a me temere confictum dicit. — Duplicem esse eius argumenti librum invicte suo loco demonstravi (4): et plura nunc addere otiosum est. Iam titulum *de orationibus* ego quidem in codice semel certe lego; ast illum *de eloquentia* Editor Berolinensis se confingere fatetur. 3.° Orationem *de testamentis transmarinis*. — Sed reapse hanc videri orationem fatetur demum ipse Ed. Ber. p. 70. n. 1. v. 13. 4.° Orationem *de hereditate Matidiae*. — Verum hanc appellat *orationem* ·M· Aurelius in epistola ibidem sequente ad Frontonem. 5.° Orationem *pro Volumnio Sereno*. — Hoc ipse Fronto scriptum *causidicationem* inscribit : tum ipse stilus et elocutio plane orationem sapit. Nunc ecce Editor Berolinensis

(1) Edit. Ber. p. 16.
(2) P. 50. n. 1.
(3) Vide editionem principem p. 104. n. 1
(4) In editione principe p. 242. n. 1.

remotus a codice, nullis titulis aspectis, supponit alios non quinque sed plane sex libros: nempe epistolam *ad Annium Verum*, epistolam *de eloquentia*, epistolas *ad Antoninum Aug.*, librum epistolarum quatuor *graecarum*, orationem *qua Fronto Herodem laeserat*, et quem multo magis mireris panegyricum *in ·L· Verum*, qui conflatur ab Ed. Ber. ex particula epistolae, quam in media pagina lacerat.

P. xxxi. Ad scripta Frontonis quod attinet *de acie homerica* et *de re rustica*, ego nonnisi coniecturas aliquot protuli, quas tamen Ed. Ber. nondum dissolvit.

v. 15. In uno codice neapolitano ( non in pluribus ut ait Ed. Ber. ) libellus *Exempla elocutionum* videtur inscriptus Arusiano. In reliquis codicibus Frontoni tribuitur. Neque hic libellus barbariem sapit, mendis exceptis: neque Ed. Ber. argumenta mea refutavit, quibus probabiliter eum Frontoni vindicavi: nec nisi iniuria inutilem pronunciavit. Iam miratur Ed. Ber. expilatos a Frontone Virgilium, Terentium, quos nusquam alibi is nominat, et Ciceronem quem antiquis ab eodem praelatum negat. — Sed nec omnia scripta Frontonis legimus, et prorsus Fronto latinis cunctis auctoribus Ciceronem se anteferre his verbis docet (1): *·M· Tullius summum supremumque os latinae linguae fuit.*

P. xxxii. n. 1. *v.* 12. Pro ex oratione *de suppliciis*, dic *de signis*, qui est levis error Editionis Berolinensis.

P. xxxiii. *v.* 24. Codex habet *de domo et rep.* etc.

P. xxxv. *v.* 8. Ait Ed. Ber. se vidisse libros vix ante saeculum vii. exaratos, in quibus litterarum formae vel pares essent vel etiam pulchriores Frontonianis; eoque dicto meam de antiquitate palimpsesti sententiam infirmare conatur. — Sed tum demum dicenti assentiar quum et scripturas, quas narrat, protulerit; et argumenta mea, quae in communi antiquariorum sensu doctrinaque nituntur, dissolverit.

P. xxxvi. *v.* 7. Ait Ed. Ber. cursivam (ut ipse loquitur) scripturam occurrere in chartis quinti saeculi; scilicet quia ego dixeram id genus scripturae frontoniani scholiastis multo videri recentius frontonianâ ipsâ quadratâ. Atqui idem Ed. Ber. pagina praecedente dixerat, frontonianam quadratam pertrahendam esse fortasse ad

(1) Ad Verum II. 4.

saeculum septimum, quum eam ego contra collocassem in quarto saeculo. Ergone de Editoris Berolinensis sententia scriptura cursiva scholiastis, qui et codicem iam tum antiquum recensuit, longe antiquior dicetur frontonianâ ipsâ quadratâ?

*v.* 11. Ignarum paene sermonis graeci ego eum latinum librarium dixi qui frontoniana graeca scripsit: atque ad eam coniecturam hoc signo sum usus, quod illa scriptura mendis innumeris scatet. Sed fidem mihi non adhibendam monet Editor Berolinensis, censetque errores qui occurrunt fere omnes ex male lecto, non ex male scripto codice natos esse. Iam etsi tam temeraria tamque invidiosa adversus hominem innocuum criminatio acerbiorem responsionem postulat; tamen ne praeter consuetudinem stomacher, ad specimen cusum provoco, quod quum decem brevissimis versibus constet, sex aut septem praefert errores: nempe *αναφικομεν* pro *αναφικομην*; *ωσε* pro *ως σε*; *εξεν* pro *εξην*; *ενποδων* pro *εμποδων*; *γιρος* pro *γυρος*; denique *ηδεη* pro *ηδη*, nisi poëtice illud adhibetur. Et tamen ego partem scripturae non pessimam ad specimen exprimendum delegi.

*v.* 16. Orthographiae frontonianae, qualem ego expressi, pleraque, in quibus a recepta consuetudine differunt, ex vitiato in barbariem prolapsi aevi usu nata dicit Ed. Ber. Sed enim ut ipse sentiat errorem suum, legat exempli causa in hac mea Ciceronis editione *princip. ed. praef. alt.* p. 39. n. 2.

(P. XXVI. *v.* 16.) Editor Berolinensis institutum suum persequens vexandi Frontonem, libellum quoque eiusdem *de differentiis vocabulorum* magnopere spernit. Aliter tamen de eo sentit (ut hoc uno exemplo utar) praestantissimus italus (quem utinam appellare liceret!) a quo scriptum istud dicitur (1) suavissimum pabulum grammaticorum.

Hactenus paginas Niebuhrianae praefationis persecutus sum. Nunc ipsum Frontonem ingressurus, immensitatem itineris perhorresco. Quare satius videtur libri Berolinensis errores ad compendium conferre. Editionis meae ordinem dupliciter Editor Berolinensis pessum dedit; primum cum epistolas, seu certe partes Frontonis integras, loco, quem in codice tenent, movit ac susdeque conturbavit: qua in re sine dubio deliquit, quia

---

(1) *Biblioteca ital*, Decembre 1816. p. 378.

dum se ad codicis ordinem redire professus est, ab eodem longe discessit. Iterum et gravius peccavit cum orationem ipsam cohaerentem discidit, versus incidit, tantumque verba non abrupit.

## DE MATERIA FRONTONIS SVO LOCO MOTA IN EDITIONE BEROLINENSI.

Prioris generis errata notavi certe in eius paginis 12. n. 3. p. 18. 41. 43. 63. 65. 66. 68. 69. 97. 122. 155. 158. 160. 161. 164. 171. 227. Frustra item de recto ordine dubitavit p. 10. n. 3. p. 188. n. 4. p. 215. n. 1. p. 241. 3.

Alterius autem generis errata prorsus non ferenda occurrunt saltem in eius paginis 24. 89. 92. 115. 117. 119. 121. 168. 175. 177. 244. 251.

Non igitur dicendum fuit a ·cl· Editore Berolinensi in praefationis pagina XV. disertis verbis: « Sibi certum » esse, codicem ipsum, si denuo inspiciatur, evictu- » rum, se nonnisi in minoribus rebus deceptum esse ». Iam ut aliqua nominatim quoque delibem;

P. 10. n. 3. Respondeo Editori Ber., quartam epistolam occurrere statim post tertiam in eadem codicis pagina. Item eam partem tertiae, quae est in eius sectione 7, copulari cum praecedentibus in eadem pagina, licet intersit aliquanta lacuna. Coniecturis igitur locus nullus est, nedum erroribus mihi adscribendis.

P. 18. Epistola *Accipe nunc* non est prima libri prioris ad ·M· Caesarem; nam una vel plures eiusdem libri praecedunt, et quidem una in eadem codicis pagina.

P. 24-25. n. 4. Vana profecto narrat Ed. Ber. Locus *atticis* etc. consequitur vocem *acceptis* in eodem codicis folio, interposita tamen lacuna.

P. 41. Epistola *Hoc nego* sine causa subiungitur graecae epistolae Ω φιλι. Post enim illam graecam epistolam relinquitur vacua pagina in codice, cum clausula libri *feliciter*.

P. 43. Collocatur in altero libro epistola quae pertinet ad priorem. Scilicet et ipsi libri in editione Berolinensi subversi sunt.

P. 50. Ad Epistolam . . . *deatur. Polemona* quod attinet recolantur dicta superius ad paginam XXX. *v.* 27. Niebuhrianae praefationis.

P. 63. In editione mea consequuntur inter se epistolae *Postquam ad te*, et *Meum fratrem* et *Gratiam meam*. At Emendator Berolinensis heic et deinceps rem pessum dedit.

P. 74-75. Criminatur Ed. Ber. in editione mea dispositionem duorum librorum *de orationibus*. Sed ipse nusquam se gravius peccasse mox sentiet. Interim moneo, mihi cum illo eatenus contentionem fore, quatenus materiam in eadem vel pagina vel folio scriptam lacerat. In cetera enim dispositione, etsi saepe item differimus inter nos, tamen suo quemque iure frui par est.

P. 83 Quod Ed Ber. locum *imperatorum fuisse* etc. usque ad p. 84. sect. 11. *viam* etc. inscribit ad ·M· Caesarem; res ferri omnino non potest, quum ea sit epistola ad L· Verum imperatorem uti codex docet.

P. 89. *v*. 3. Immerito avellit Ed. Ber. ea quae sequuntur in mea editione pag. 255., nempe sententias *inopinatas* etc. Sunt enim in eodem codicis folio etsi interiecta litura.

P. 90. n. 3. Non fuit diffindendum fragmentum *superest . . . Etiam Viriathus* etc. quod occurrit in editione mea p. 236.: est enim in uno eodemque codicis folio. Porro ubivis, dummodo coniunctim, collocetur perinde est.

P. 92. Codicem miserrime lacerat Ed. Ber. Fragmentum enim . . *ma condicio est* collocat in pagina 92. in epistola, ut ipse loquitur, *de eloquentia*. Tum locum *Dicet aliquis*, qui sequitur in eadem pagina atque adeo columna codicis, transfert in paginam 121. inter epistolas *de orationibus*. Ex quo liquet etiam quam recte distinguat fragmenta quae vocat *de eloquentia* ab iis quae patitur inscribi *de orationibus*. Tum denique epistolam *Antonino augusto. Pleraque* etc., quae legitur in eadem codicis pagina, exhibet in pagina 114. O incredibilem perversionem! Sed multa sunt eiusmodi.

Sane ego fateor in fragmentis *de orationibus* ad ·M· Antoninum aug. esse quaedam eiusdem argumenti scripta olim ad iuvenem Caesarem ( quis enim id non sentiat? ) Verum satis in mea editione monui, aliis quoque libris, v. g. ad Pium, immixtas esse, seu librarii arbitrio, seu quavis alia de causa, alienae materiae partes.

P. 97. Dupliciter errat Ed. Ber., primum quia praeponit epistolam *Ne ego* etc. epistolae . . . *lio paululum* etc. quum contra sit in codice. Illa enim hanc consequitur in eadem pagina. Iterum, quia etiamsi responsio huic epistolae ... *lio paululum* etc. inest in opusculo *de bello parthico* quod attinet ad Ciceronis orationem quam Marcus aegre legebat; tamen quod attinet ad scripta Frontonis petita item et missa, respondetur in hac epistola *Ne ego* etc.

P. 108. n. 1. Quid ait ·cl· Heindorfius me divellisse *prosus* a *beatissimus?* Scilicet versus inter haec verba in codice interiacet.

P. 115. v. 13. Heic quoque perturbat materiam Ed. Ber., cuius rectus ordo est in editione mea p. 257.

P. 117. n. 3. Non recte Editor Ber. sectionem suam primam monet secundae esse postponendam. Nam prima sectio consequitur locum *in suspicione* in eadem codicis pagina; sectio autem *oculos* etc. prorsus in alio folio tota abest.

P. 119. v. 2. Rursus perturbatio. Post *multo melius*, sequitur in eadem pagina columnaque codicis *Dicas fortasse*, qûod Ed. Ber. transtulit in suae editionis paginam 127.

P. 122. n. 1. Merito Ed. Ber. spondet se non adversaturum siquis aliter locum ordinet: namque post vocem uterer sequitur in codice epistola *Antonino augusto Fronto. Pleraque* etc. Neque tamen cum illa parte coniungenda sunt quam ipse innuit.

P. 129. v. 10. Immerito Ed. Ber. denotavit punctis lacunam. Est enim in codice continua oratio *lapsus est* (*est* excidit a mea editione). *Unum edictum* etc.

P. 155. Malo omine sibi plausit Ed. Ber. de restituto ordine in libro ad Verum. Epistolam enim *Est quod tecum*, quam primo loco collocat, praecedit in codice alia materia ad Verum. Item epistola *Iam iam imperator* non est tertia ad Verum, quod tamen sibì persuasit Ed. Ber.

P. 160. Post epistolam quae explicit *malui* sequitur in codice ut in mea editione epistola *Fatigatum*. Aliter factum in editione Berolinensi. Neque post epistolam quae explicit *Domine dulcissime* sequitur sine vel cum lacuna epistola *necessario correcta velint*. Neque post hanc illa *Quanta* etc. Omnino Editor Berolinensis tempora quidem fortasse sequitur sed non codicem.

P. 167. n. 1. Quam sit inanis nota, qua mihi hoc loco contradicitur, docet lapsus qui mox sequitur Editoris Berolinensis. Quippe is a p. 168. sect. 8. locum *His te consiliis* etc. transfert in p. 177. fingitque praeclarum panegyricum ·L· Veri ipse qui veros negavit. Reapse autem in codice post vocem *meminisse* interiecta litura duorum versuum, sequitur *His te consiliis* etc. Immerito item transfert Ed. Ber. in paginam 171. epistolam *Fatigatum* etc. quae consequitur, ut iam dixi, in eadem pagina eademque columna codicis epistolam quae explicit *omnia malui*, ut in mea editione p. 96. Iam et p. 172. sect. 4. immerito rursus avellit Ed. Ber. (confertque in p. 175) verba *veri quid (or)as* etc. quae sequuntur in mea editione p. 98: cohaerent enim in eadem codicis pagina, illa quae a me divulsa ait Ed. Ber.

P. 174. n. 3. Quoniam ego de loco quem tenet in codice epistola *Quamquam me diu* studiose in nota monui, ut liberum esset futuris editoribus ordinem quem mallent, tenere; nihil est quod reprehendat Ber. Editor: praesertim quum ordo temporum in veterum epistolarum collectionibus plerumque desideretur, quod et ipse Ed. Ber. quod adtinet ad Frontonem fatetur (1). Iam quod idem hac epistola *Quamquam me diu* dixit (2) nullam esse recentiorem; primum rogo quo id pacto comprobetur? Etsi enim tunc aegrotabat Fronto, tamen et convalescere potuit, et saepe ad amicos scribere. Quod si Ed. Ber. negat; qua demum constantia mox p. 177 fingit triumphatorem Verum a Frontone reducem panegyrica oratione salutatum? Sane panegyricus ille nullus est, ut alibi dixi, sed pars epistolae ad Verum in Asiam, quamquam Ed. Ber. infelici usus confidentia pronunciet (p. 177. n. 1) *dici vix posse quantum* haec parsa *reliqua epistola et argumento et sermone discrepet*, quam ipse Ed. Ber. importune discidit; interim opus erat, Editorem meminisse eorum quae ante dixerat. Quid quod, si rem attentius consideres, epistolae ad Verum augustum (exceptis iis quae ad eum datae sunt Canusium et in Asiam) scriptae fortasse videbuntur post triumphum, quandoquidem Verus valde cito post initum imperium ad parthicam expeditionem profectus est.

(1) Praef. p. xxix.
(2) P. xxvi.

P. 183. n. 1. Res plane secus se habet atque Ed. Ber. opinatur. Ego enim titulum *Fronto ·Cl· Iuliano* non a corpore libri ad indicem transtuli, sed ab hoc ad corpus, et me titulum supplere in corpore virgulis docui, quod non fuit faciendum in indice.

P. 188. n. 4. Frustra videtur Editori Berolinensi epistolae exitus ad ea quae praecesserunt non quadrare. Nam ego et heic, ut centies iam dixi, codici adhaesi.

P. 191. n. 1. Satis me purgavi cum dixi, ea verba sola superesse in oblitterata pagina, neque pertinere ad eam epistolam, cui mantissae loco addita sunt. Perinde autem erat ante vel post collocare hians illud fragmentum.

P. 205. n. 1. Immerito dicit Ed. Ber. me titulos omnes amissarum epistolarum transtulisse in libri corpus ex indice. Titulum certe epistolae quae mihi est XVIII. libri prioris ad Amicos tum in indice vidi tum in pagina in qua epistola oblitterata est.

P. 215. n. 1. Frustra coniecturis dat operam Ed. Ber. Verba enim *quod aetas* etc. sequuntur post *dicam* in eadem codicis pagina: atque haec ego legi integra; reliqua ibidem cum lituris.

P. 227. Immerito Ed. Ber. inscribit ἀδήλῳ epistolam graecam quae est in libro primo epistolarum ad ·M· Caesarem, atque omnino vel Frontonis vel ipsius Marci dicenda est. Frustra etiam, ut opinor, coniicit scriptam esse ad amicum qui modo filium amisisset.

P. 241. n. 3. Frustra suspicatur Ed. Ber. verba *decep*tionibus praevertenda esse; ea enim subsequuntur in codice. Immerito item separat hoc fragmentum: coniungitur enim in codice cum superioribus sententiis brevi interiecta lacuna.

P. 242. Quod verba *ubi primum* usque ad *oratoribus atque* ubilibet collocet Ed. Ber., ego quidem in praesenti oppugnare nolo; quoniam hic locus superest in separato codicis folio, atque utrimque est abruptus. Id de similibus quoque locis dictum esto.

P. 243. Immerito Ed. Ber. fragmentum (quod ipsi est quartum) seiungit a parte postrema tertii: namque in eadem codicis columna post *ad hoc*, interiecta trium aut quatuor verborum lacuna, sequitur *in bellum profectus*: quod ita esse non posse, immerito ait Editor Berolinensis.

P. 244. Immerito Ed. Ber. locum *longa desuetudine* etc. collocat post locum *Numae regi aequiperandus*: sequitur enim in eadem codicis columna immo versu post *instaurandi (auc)tor*, ut in mea editione p. 340, unius vocabuli interiecta lacuna.

P. 246. *v.* ult. Immerito Ed. Ber. omittit fragmentum *certaminis* quod ego exhibui in editione mea p. 343. Quippe id est in eadem codicis pagina atque superiora: Editor autem Berolinensis transfert post quartam paginam.

P. 286. Ad tabulam, qua comparantur paginae editionis Mediolanensis et Berolinensis, aio: Berolinensis comparatus cum Mediolanensi index novam quamdam habet demonstrationem; nam ut meus fere demonstrat quid ubique sit, ita Berolinensis quid plerumque suis locis revulsum sit ostendit.

Moneo etiam, ab Editore Berolinensi praetermissum esse lemma *cuiusmodi hostes sint Parthi*, quod est in mea editione p. 350.

## DE NOTIS CRITICIS EDITIONIS BEROLINENSIS.

Nunc quoniam et frontonianae editionis principis textum measque notas haud raro ·cl· Niebuhrius vel eius Socii carpserunt, reliquum est ut pauca et de hac *κρίσεως* parte dicam.

P. 3. et deinceps immerito omittit Editor Berolinensis duo puncta litterarum singulariarum, v. gr. ·*M*· Immerito item in titulis quum semel scripserit *epistula*, mox scribit *epistola*. Atqui Ed. Ber. praef. p. XXXVI. orthographiam codicis frontoniani servaturum se receperat.

P. 4. n. 1. Vana est dubitatio Editoris Ber. Nam inscriptio *Imp. Antonino Pio augusto Fronto* certissima est in codice, etsi deinceps plurima pars epistolae legi nequit.

P. 5. n. 4. Codex ipse post vocabulum *agerent* interpungitur, quod frustra reprehendit ·cl· Heindorfius.

P. 6. n. 3. Spatium codicis haud patitur supplementa perdocti Buttmanni. Sed deinceps ab eiusmodi animadversionibus abstinebo.

P. 7. n. 2. Immerito Ed. Berol. dicit *putidissima* lemmata seu scholia codicis frontoniani: nam et aliquot variae lectiones inde eruuntur, et eadem deficientis materiae indicium commodum praebent, quod hoc loco reapse praestat vox *panegyricus*. b **

P. 19. n. 1. Diserte moneo adversus ·cl· Buttmanni coniecturam, apparere in codice *λα* graecum, non *da* latinum.

P. 21. n. 9. Immo moneo reponendum esse in textum *agnasceret*.

P. 25. n. 3. Puto scribendum in hac nota *non possit intelligi nisi de imperio*.

P. 26. n. 3. Τὸ *miserere* evidens est in codice.

P. 34. n. 5. Ait ·cl· Buttmannus significari a Frontone Lysiae et Socratis platonici in Phaedro orationes — Atqui statim Fronto ait se scripsisse per Lysiam et Platonem. Est tamen sapiens coniectura Buttmanni.

P. 40. n. 1. Non sensit atticismum *δόξει* Editor Ber.

n. 4. Iterum moneo, codicem liquido exhibere *ιαισον*: quod autem ego legi *θυων*, legi potest et *οψων*.

P. 42. n. 3. Videtur mihi Heindorfius audacius improbare vocabulum *desiderantissimus*, quod tot exempla confirmant.

P. 45. n. 3. Alius immo criticus *τῷ imperator* supponebat *inspectator*. Sed codex ita se habet ut princeps editio.

P. 46. n. 2. Probo interpunctionem *arbitror contigisse*.

P. 48. v. 8. Codex habet *a graeca scriptura* uti ego in mea editione expressi, quidquid contra dicat Heindorfius in addendis p. 294. qui facere voluit *ad graecam scripturam*.

P. 60. n. 4. Immo legendum est Ἀθηνᾶ τοῦ Διὸς· σὸς δὲ ὢν υἱός.

P. 62. n. 3. Codex habet evidenter *vespere*: tum in margine scholiastes scribit *ī ā vespera*.

P. 63. n. 1. Quidquid dicat Heindorfius, codex habet *et Atellaniolae*. Sed ab eiusmodi minutioribus refutationibus deinceps fere abstinebo.

P. 64. v. 6. Editor Berolinensis, doctus alioqui vir, omnino heic peccat obtrudens *ἀρχῇ πρὸς τῷ ποδὶ*, vel, quod in nota 2 peius est, *πρὸς τῷ τέλει*. Nonne in eius editione dicit Fronto praecedente epistola et pagina *Romae hereo compedibus aureis* (scilicet consulatûs) *vinctus?* Nonne *γῦρος* est *compes*? Nonne eadem est heic sententia graece quae ibi latine? Sane et utraque epistola in natalibus Calvillae scripta fuit, atque a me in specimine cusa.

P. 67. n. 4. Heindorfius interpungere iubet *quod volt. Semper*. Sed enim in codice interpungitur post *semper*.

P. 68. n. 2. Ad Falconem quod attinet, vellem Editor Berolinensis legisset additamenta et animadversiones meas p. 556.

P. 70. n. 1. Primum fatetur Ed. Ber. scriptum *de testamentis transmarinis* dici posse orationem. Deinde iudicabunt eruditi, quî fieri non potuerit ut Fronto orationem hanc miserit legendam imperatori Marco, ne eum perorando coram obtunderet. Nonne hoc pacto missae sunt oratio *de hereditate Matidiae* ad eumdem Marcum, et *pro Volumnio* ad Arrium? Cur vero cogitarem de Pio quum hoc oratorium fragmentum occurrat in libro ad Marcum? Quod si ea collocatio tribuenda librariis est, utrum credibilius est eos orationem ad Pium ( ut vult Ed. Ber. ) copulaturos fuisse cum libro ad Marcum ( uti revera se habet codex ) an potius cum libro ad Pium?

P. 72. n. 4. Tollit interpunctionem post *exacti sunt* illustris Niebuhrius; at codex eam praefert. Molestum est haec persequi: quare et deinceps plura tacitus praetermittam.

P. 77. n. 4. Codex evidenter *obligari*. Porro miror Heindorfium qui de linguae latinae peritia cum Frontone certet.

P. 82. n. 1. Falso dicitur esse in codice vox *notavit*.

P. 83. n. 7. Frustra ·cl· Buttmannus corrigit *muti*. Codex enim bis, nempe et in textu et in margine praefert *mutae*, ut in mea editione. Quae porro emendandi necessitas? Nonne tibiae sine ore alieno mutae sunt? Equidem doleo cogi me de hisce minimis rebus cum viro docto celebrique contendere.

P. 86. *v*. 9. *Histrioni* est in codice, quod Heindorfius facit *histrioniae*.

P. 87. n. 1. Respondeo ·cl· Buttmanno codicem habere *παραιτεῖν*, quod ante dixi.

n. 3. Immerito. Ed. Ber. mallet legere *verubus*. Codex habet *verbis*. Locus autem Virgilii ad rem non facit.

n. 5. Falso dicit ·cl· Heindorfius excidisse *studens* vel aliud huiusmodi vocabulum. Illa enim sententia *Tragicus* etc. usque ad *ac vocem* scribitur ut notabilis in margine, nihilque additur, neque eo loco oblitteratus est codex.

P. 96. Cur ait Ed. Ber. me perperam interpretatum esse titulum libri I. ad Marcum? Sane ego quum legerem *lib. II. ad ·M· Caesarem*, haud temere coniiciebam eum librum qui praecederet in codice ad eumdem ·M· Caesarem, esse lib. I. Ad reliqua huius loci respondere longum esset et supervacaneum.

P. 101. n. 1. Scriptum *de hereditate Matidiae* revera esse orationem multis argumentis, olim confirmavi, quorum nullum Ed. Ber. dissolvit. Res igitur est in integro. Quod vero idem tum hoc tum sequens apud eius editionem opus *de bello parthico* contemnit; nihil heic rursus addendum puto.

P. 102. n. 2. Nihil evidentius est in codice quam *Egatheus*. Quare frustra ex eo faciunt *legitimus* Heindorfius; *heres* Buttmanus; *augustus* Niebuhrius.

P. 104. n. 1. Immerito Heindorfius τῷ *quid horae* supponit *quid hodie*. Nonne Latini dicunt *id temporis*, *id diei*, *id aetatis*?

n. 4. Conferat Ed. Ber. duplicem titulum, alterum nempe finientis libri I, alterum incipientis libri II. ad Marcum, cum duplici titulo duorum librorum ad Verum quos frustra negavit.

P. 107. n. 2. Coniicit Editor Ber. lacunam esse non unius paginae, sed reapse ne integra quidem pagina oblitterata est. Tum ad alteram eius coniecturam n. 4. respondeo, tantum esse lacunae in codice quantum ego supplementis occupavi. Idem factum et deinceps a me sciat secuto probatas historias.

P. 110. n. 1. Somnio narrato qui quaeso ineptisset Fronto adiungens interpretationem?

P. 111. n. 2. Non assentior ·cl· Buttmanno qui tollendum censet exclamationis signum.

P. 116. n. 4. Quo pacto suspecta in Frontone vox σώζεο? Obiter moneo, eam occurrere etiam in anthologia Brunkii T. III. p. 83.

P. 118. n. 7. Coniectura bona Buttmanni non congruit cum litteris codicis.

P. 122. n. 3. Ad illud quod reprehendit Heindorfius respondeo: Ut ego dicam *nomen* favet vocabulum *omnem*, a quo parcius detorquetur, quam quod ipse vult *ordinem*.

P. 127. n. 3. Coniecturis Editoris Berolinensis obstat res quae se aliter habet in codice.

P. 128. n. 4. Quo pacto probat Buttmannus τὸ *utens* manifesto referri ad nominativum *Gallicanus*, quum sit interiecta lacuna?

n. 5. Non magnae, ut ait Editor Berolinensis, sed breves sunt in hac fragmenti parte lacunae, uti codex docet. Neque in nomine Ennii, quod evidens est in codice, ego pecco, sed is qui me temere reprehendit. Porro et Ennii versus vellem ego ab Ed. Ber. melius componi, et quonam ii metro constent audire, utrum nempe epici sint an potius tragici.

P. 130. n. 8. Quod iure dixerim *haec* pro *ista*, ad Forcellinum provoco.

P. 132. n. 4. Contra codicis fidem obtrudere videtur *alumnulam* Buttmannus. Illud vehementius miror, quod de *agnata* malit cogitare idem Buttmannus, quum tot fuerint Marci filiae, deque hac sermo sit etiam in ultima Alsiensi, et de aliis in editione mea p. 50.

P. 139. n. 2. Codex perspicue habet *epulorum*.

142. *v*. penult. Codex videtur habere *vi veniet*; sed probo magnopere emendationem *vivent*, *et*.

145. n. 1. Non placet, quod superius iam dixi, sententia Editoris Berolinensis de duobus nepotibus amissis.

149. *v*. 9 Placet emendatio *constet*, *erit* pro *consteterit*: quamquam reapse in codice videtur interpungi post *erit*. Et quidem *constetisset* pro *constitisset* videsis apud Iulium Valerium III. 13. n. 2.

P. 153. Titulus ipse in codice est: *Epistularum ad Verum imperatorem Aurelium Caesarem*; at eum Editor Berolinensis interpolat. Claudicare autem eiusdem notam satis docui in superioribus. Rursus tamen moneo, *Verum* ita appellatum interdum etiam ante imperium. Tum qui probat Ed. Ber., inter epistolas ad imperatorem haud esse insertas a librario epistolas ante eam dignitatem ad eum missas? Nonne ipse Editor Berolinensis praef. p. XXIX. probe notavit, *non temporum sed hominum, ad quos scriptae fuerint habitam esse rationem, cum in libros dispertirentur hae epistolae*?

P. 155. n. 4. *Esse ad aliquem* vel *ad aliquid* recte dici non nego: est enim et apud Ciceronem *pro Tullio* cap. IX. Sed enim inter *meum* et *esse* intercedit nonnihil spatii in codice.

P. 175. *v*. 4. in nota. Quod ego dixi, haud aperte proditum a scriptoribus Lucillam suscepisse liberos de

Vero, auctorem sententiae laudo doctissimum Eckhelium *doctr. num. vet.* T. VII. p. 98. Dilaniatam esse epistolam quam Ed. Ber. facit duodecimam, superius monui.

P. 179. n. 1. Qui ab hoc indice notas numerorum removit, cur eodem instituto non coepit uti in indice libri ad Pium?

P. 180. Dixi superius me plerumque non impedire, quominus fragmenta Frontonis quae utrimque trunca sunt diversisque in foliis scripta, prout suae quemque coniecturae ducunt, ab Editoribus ubilibet collocentur (qua ceteroqui libertate eum qui abest a codice periculose uti necesse est). Itaque et epistolam *Meremur et mihi* cum sequente lacinia, quam ego quibusdam indiciis ductus cum epistolis libri ad Pium copulavi, inscribi ad Victorinum libenter fero. Neque tamen ego in principe editione firmum iudicium prae me tuli (1): dixi enim videri existimandam epistolam Pii ad Marcum, eiusque opinionis momenta aliquot protuli: tum et inscriptionem me addere testatus aperte sum. Sed reapse, cum librum ad Pium typis committebam, frontonianam corpus nondum totum contueri potueram.

P. 189. n. 1. Mea eiicit Heindorfius, ut sua invehat quae ad codicis spatium non quadrant.

P. 190. n. 4. Tota hoc loco pagina oblitterata est: quare merito putavi locum amissum de eloquentia non fuisse minimum.

P. 193. n. 1. Codex habet *minorem.*

P. 196. n. 1. Ut in hac nota assentior Editori Berolinensi de aetate Chresti, ita ab eo dissentio p. 199. n. 1. de Mamertino patre.

P. 200. n. 5. Quod reprehendat meam notam Ed. Ber., prorsus miror. Orationem bithynam scriptam esse a Frontone certissimum ipsi Editori est (2). Illâ vero in nota non de re quaero, sed de tempore quo Fronto eam orationem dixerit, aioque id omnino post Plinii aetatem contigisse. Hoccine est flagrare studio Frontonem operibus augendi?

P. 208. n. 1. Ait Editor Berolinensis dubium non esse me addidisse verba *liber I.* in calce libri. Temere tamen accusat: eadem enim in pagina codicis legitur *liber I.* nempe explicit, tum legitur *liber II.* nempe incipit.

---

(1) Edit. princ. p. 30. n. 1.

(2) Edit. Berol. praef. p. XXX.

P. 210. n. 1. Immo verisimile est Quadratum, qui coniuravit in Commodum, studuisse eloquentiae puerum sub Frontone sene. Quamquam ego quum occurrerent litterae Frontonis v. gr. *ad Mamertinum*, *ad Quadratum* etc. monui quidem (ut spero utiliter) lectores de viris qui circa ea tempora his nominibus usi essent; non tamen et epistolas Frontonis iisdem diserte viris inscriptas pronunciavi: viam tantum ad rem vestigandam munivi.

P. 216. n. 2. Cavillatur Ed. Ber. in voce *praefectura*, cuius tamen late patet sensus: tum haud scio an ipse se emendare videatur p. 217. n. 1.

P. 218. Scripti ad Arrium de Volumnio, quod ego dixi orationem, duodecim ingentes paginae in codice supersunt, plurimaeque, ut coniecto, desiderantur. Iam e superstitibus ipsis minima pars legi potuit, et quidem saepe ex integra pagina pauca vocabula exsculpta sunt. Igitur primum materiae amplitudine ad orationem putandam impulsus sum: tum quod ipse Fronto hanc dicit *causidicationem*: tum denique oratoriis figuris quae praeter morem epistolarem occurrunt. Est igitur oratio in libelli seu epistolae modum ad Arrium missa. Haec iudicibus aequis facile sufficiant.

P. 220. n. 4. Non probo sententiam ·cl· Heindorfii qui oggerit invito codici *legato semper viaticum*.

P. 221. n. 6. Immo inquam ego *nihil*. Codex enim accuratius inspectus meam simul lectionem et Heindorfii emendationem damnat.

P. 225. n. 2. Ne cogitemus de Siccensi Proculo (quem Capitolinus provectum a Marco ad proconsulatum narrat) vetat gratis Editor Berolinensis.

P. 229. ante notam 1. Haec epistola, quae mihi est quarta graecarum, occurrit in libro priore ad ·M· Caesarem. Constat item de scriptis amatoriis (quamquam castis) inter Marcum et Frontonem. Quis igitur concedat Editori Ber. ut suspicetur has litteras scriptas ad Herodem?

P. 234. n. 4. Probo emendationem *ἐν αἷς ὁ τιμῶν*.

P. 239. Plane incassum negat Ed. Ber. *Principia historiae* ad Marcum (quod ego dixi) scripta fuisse. Eius rei argumenta rursus ponere non recuso. Ex epistola (ed. Mediol.) VII. libri I. ad Verum constat, Marcum petivisse a Frontone ut de rebus parthicis scriberet. In eadem dicit Fronto se id facturum statim ac Verus

commentarium miserit. Iamvero in ipsis *Principiis historiae* p. 359. ait Fronto se interim misisse *Principia* ut gustui essent, scripturum latius postquam acceperit a fratre eius (cui nunc scribit) commentarium. Expectabatur autem commentarius a Vero, ut supra dixi, utque iterum constat ex epistola secunda libri alterius ad Verum. Ergo *Principia historiae* omnino scripta sunt ad Marcum, ut ego reapse titulavi. Quod vero idem Ed. Ber. ait, verba *Tantas res a te gestas quantas Achilles gessisse cuperet* non nisi ad ·L· Verum scribi potuisse; id omne contra est: de Marco enim haec rectissime, de Lucio falsissime Fronto pronunciavisset. Illud oblitus est Ed. Ber. in libro meo castigare, quod ego nimirum ante dictorum immemor, ea verba in indice (p. 563. *v.* 11.) de Lucio prolata existimaverim. Quod vero et heic de more Ed. Ber. Frontonem vituperat, id me diutius refutare taedet.

Rursus in eadem pagina audacter Ed. Ber. ait: *Hoc pro certo ponimus quatuordecim folia* (Principiorum historiae) *ita Maium dispertiisse, ut septem ea quae edidit fragmenta ex binis singula foliis composuerit.* Sed plane fallitur: ex aliquot enim foliis pauca verba excerpsi; aliquot paginas legi integras; in reliquis varia fortuna usus sum.

P. 248. *v.* ult. Locum *Lucio ab urbe* coniungendum esse cum loco *necdum etiam tum profecto* lubentissime aio; idque licet per codicem: sunt enim hi loci in diversis foliis.

P. 252. n. 1. Fragmento *liberum amanti* etc. ait Editor Ber. contineri haud dubie quantumcumque Maius ex quatuor paginis exsculpere potuit. Sed reapse duplicandus est numerus: nempe ego ex octo deletitiis paginis eum locum confeci. Reliquas eiusdem coniecturas persequi otiosum est.

P. 255. n. 3. Ad sensum vocabuli *adsimulatio* quod adtinet, ad Forcellinum provoco.

P. 257. n. 3. Negat Heindorfius *ve* usurpari interdum pro *an*? Atqui eius rei extant apud Forcellinum exempla Ciceronis, Nepotis, Horatii, et Caesaris.

P. 259. n. 4. Reprehendit Heindorfius *multo*, *multoque*. Atqui codex ita habet.

P. 265. n. 3. Ad *sed* quod attinet, fallitur Ed. Ber. Prior enim particula *sed* praecedit alteram, verum interiecta duorum versuum litura.

P. 279. n. 6. Legat Buttmannus additamenta mea p. 557. sentietque me quoque cogitasse de Gniphone.

### DE SYMMACHO.

P. 7. n. 5. Pro *confirmas* emendat Heindorfius *confirmasti*. Atqui fit cacophonia, sequitur enim *curasti*.

P. 8. Nec secunda nec tertia nota, sive emendatio, placent.

P. 26. n. 3. Videtur bona coniectura Heindorfii *suspicemur;* sed codex habet *suscipimur* uti ego edidi.

P. 38. n. 2. Videtur recta scribere Heindorfius. Ego vero gaudeo me in meis notis eam lectionem servasse.

P. 58. Laudes quae sequuntur anonymae, videbantur mihi dictae vel in Flaccillam vel in Mariam vel in Serenam: eiusque suspicionis momenta aliquot non absurda protuli, praesertim quatenus ad Serenam referri possunt. Iamvero Ber. Editor, propositione mea triplici servata, reticuit argumenta pro Maria, quod prorsus non fuit faciendum. Denique quod ipse cogitat potius de Theodorici filia, vellem fidem suae opinionis fecisset.

P. 295. Quod in emendat. ad *laud. in patres* cap. IV. Cramerus τῷ *arida* supponit *avita*, id contra manifestam codicis auctoritatem fit. Iam quod haec immutatio speciem veri habebat, idcirco refellenda fuit: reliquas tamen docti Crameri coniecturas non persequar.

### RVRSVS DE CICERONIS INTERPRETE SIVE ASCONIO.

Dictum supra est (1), cl. Niebuhrio *dubium non esse in Poggianis Asconii apographis Commentarium ad Verrinas non exstitisse, sed aliunde editum esse.* Ei affirmationi ego evidenti oratione illo in loco contradixi. Sed nunc demum prodeat *argumentum*, ut verbis Tullianis (2) utar, *quod est proprium rei, rerum vox, naturae vestigium, veritatis nota: quod maneat inmutabile necesse est; non enim fingitur ab oratore sed sumitur.* Poggianum Asconii apographum extare Florentiae apud Riccardios

(1) In his Commentationibus p. 1.

(2) Orat. *pro Scauro* cap. XV.

tradit Bandinius (1). Ea notitia usus, statim ego rogavi per litteras virum clarissimum Io. Bapt. Zannonium, regium apud Florentinos antiquarium, ut autographum Poggianum mei causa inspiceret: isque humanissime datis ad me litteris, hoc anno idibus Iulii, et autographum inter Riccardianos codices superesse respondit, manumque ipsam Poggii evidenter agnosci, et (quod rei caput est) Commentarium Asconii ad Verrinas ibidem legi affirmavit, notata etiam hac differentia, quod in editionibus is Commentarius explicit *proprie*, in autographo autem Poggiano *propter*.

Etsi hoc argumento controversiam (siqua erat) sustulimus, tamen evidentiam cumulare iuvat. Barptolemaeus de Montepoliciano comes Poggii fuit in constantiensi concilio, eique in inveniendis veterum scriptis, nominatimque Asconii Commentariis, socius. Rem satis testantur Lagomarsinius (2) atque Bandinius (3). Iamvero huius quoque Barptolemaei codex, in quo Asconius continetur, superest apud Florentinos teste Bandinio (4), isque item codex Commentarium Asconii ad Verrinas habet uti ab eodem Bandinio accurate describitur: idemque explicit, non secus ac Poggianus, in voce *propter*, addito ipsius Barptolemaei testimonio his verbis: *Finis argumentorum* (nempe commentariorum) *quarumdam orationum Ciceronis, eorum quae invenimus in monasterio S. Galli, quae licet imperfecta, et in compluribus locis corrupta esse videantur, non mediocrem tamen bene studentibus poterunt utilitatem afferre. Die XXVI. Iulii MCCCCXVI. B. de Montepoliciano.*

---

(1) *Catalog. bibl. laurent.* T. II. mss. lat. p. 503.

(2) Vide in editione septem eiu. orationum Romae MDCCLIII. *epistolam ad Facciolatum.*

(3) Tomo citato p. 433 et 637. ac 638. n. 2.

(4) Tomo citato p. 638.

## COMMENTATIONVM CLAVSVLA.

Sed ad Frontonem ut redeam, ego porro futuros editores rogo, ut huius Absyrti membra ne crudelius concidere deinceps velint. Satis diu fuit in miseriis Fronto, satis multa saecula cum barbarie conflictatus est: nemo autem sperasset eundem rursus in perniciem tam subitam incursurum. Ego sane hanc sive editionis Mediolanensis defensionem sive Berolinensis emendationem dici non potest quam invitus susceperim: cui rei argumento est, quod cum intra paucos ab accepto libro dies eadem quae nunc dico vulgare possem, hortantibus plerisque amicis, ipsa re postulante, numquam his quasi tormentis ante hanc diem expugnatus sum, ut negotium eiusmodi vel lacessitus attingerem. Maxime quippe est optandum studioso homini ut nullo suscepto cuiusquam odio, sine offensione ac molestia rationem cum Musis habere possit. Id mihi adeo alte descenderat, ut diu dubitaverim an istos longinquos rumores taciturna patientia comprimerem. Sed enim tandem aliquando fractus sum misericordia Frontonis mei. Utinam vero librorum alienorum censores hac mea defensione contenti sint! mihique posthac amicorum potius monitis obtemperare liceat (quis enim his non gaudeat?) quam criticorum haud aequis animadversionibus resistere necesse sit!